

divini examinare solitum, semper fuisse meministis.
Is ergo hoc pacto vitam instituens, non tantum professoribus inclytæ hujus Academiæ de nota, quod ajunt, optima innotuit: sed hospes quoq; ejus Dn. M. ERASMUS STOCKMANNUS, præstantiam ingenij, singularem eruditionem, modestiam atq; comitatem in eo animadvertens, dignissimum eum judicavit, cujus studia omnibus modis promoverentur, quiq; Academico diligentia præmio ornatus, ad majora tentanda accenderetur. Ex decreto igitur Facultatis philosophicæ spectatissimæ, ipse STOCKMANNUS Decani functus officio, titulum Magistri philosophiæ & artium liberalium, tanto merito tantaq; cum lubentia LOBECHIO, annum agenti tertium supra vigesimum, attribuit, ut majore cum lubentia, ac merito majore vix alij cuiquam, vel certè paucissimis, eundem attribuerit. Cujus enim eruditionem professores tum temporis doctissimi, clarissimi, perspexerant; cujus mores probabant mirificè; quem deinceps suæ facultati & Academiæ huic ornamento fore singulari aperte prævidebant: eum quoq; modis omnibus ornandum esse minimè dubitabant: non ignari verissimum esse istud Calsiodori: *Nutrire prætorum exempla virtutes, nec quenquam esse, qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando videt irremuneratum non relinqui, quod conscientia teste laudatur.* Nec fefellit eos ipse in LOBECHIO. Quam primum enim is supremo philosophiæ titulo, ornatus esse: statim aperto ingenij sui promptuario, summa cum dexteritate doctrinam SPHÆRICAM, (qua imprimis tum eum delectatum fuisse accepimus) libello eruditissimo viri nunquam satis laudati, & perpetua memoria dignissimi, Dn. D. HENRICI BRUCÆI b. m. professoris olim Clarissimi, & præclarissimè de Academia meriti, comprehensam, interpretatus est: ac simul præclarum Theologici studij &

Lib. 3.
Variar:
epist. 16.

C

dij &